

pulueres aliqui cum decocto vel aquis stillatitiis miscentur, per incerniculum colantur, ne si forte aliquid a speriusculi remaneat, id parti adhaerendo dolorem causet. Exemplum:

℞. Tutia preparata ℥ ℞.

sarcocolle lota in aq. rosar. vel solani, aloes hepat. sacchar. candid. an. ℥ iij. misce.

fiat puluis tenuissimus, cuius ℥ i. cum lacte muliebri vel caprino infundatur.

Fieri autem possunt iniectiones quotidie ter aut quater. Virgente autem saeuissimo dolore, æger perpetuo penem in lacte tepido contineat.

De iniectionibus in vterum.

C A P. XVII.

Vteri collum, quemadmodum & ipsius fundus ab acris humoribus exulcerari potest; Sæpe etiam à difficili partu aliisve causis dolor causetur, quare etiam iniectiones ad doloris mitigationem, fiunt.

Fiunt autem per instrumentum syringæ simile, quod Galeno *μηντρειχύτης*, a *μηντρα* & *ειχίω*, id est, in vterum effundo, dicitur. *§. meth.* Fiunt autem similes prædictis iniectiones. Quod si acrimonia & etiam exulceratio maior sit, iniectio ex albuminibus ouorum, tamdiu conuassatorum, quoad in aquam soluantur, cum aq. rosarum efficacissima erit. Quod si dolores ab humore aquoso & frigido caussentur, iniectio ex vino & calidis oleis, vt oleo nardino, irino, hypericonis parabitur. Quod si vlcus adsit, ex oleo vitell. ouor.

Si ve: